



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. III. De relationum diuinarum essentia numero, ac definitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

art. d. 3. col. penult. Ratio personæ indefinitè prolata vaga est: ergo ineptè solum afficitur signo vago, vel particulari: cum tamen aptè dicamus aliqua, vel hæc persona, & personalitas diuina. Patet: quia ideo *aliquis homo* ineptè afficitur alio signo vago, vel particulari, verbi gratia, *quidam, aliquis homo, vel hic aliquis homo*. Quia *aliquis homo* vagè significat. Cuius ratio est: quia vagum signum superflue additur termino vago supposito; particulare verò contradicit vagitati. Respondetur negando consequentiam. Vagitas enim potest expressè significari: cum videlicet signum proprium vagitatis termino adiungitur; & potest significari confusè: cum sine eiusmodi signo terminus profertur non communis vniocè, persona, indiuiduum. Dixi non communis vniocè, quia communis vniocè terminus, verbi gratia *homo* nullatenus indiuidua significat. Et termino quidem clarè vago nequit signum aliud vagum, vel particulare, nisi ineptè adiungi, vt exempla, & rationes euincunt; termino verò confusè vago, cum capax sit vagitatis eius maioris claritatis in significando, atque non opponatur clarè determinationi, aptè potest signo clarè vago, vel determinato affici, atque explicari.



QVÆSTIO III.

De relationum diuinarum essentia, numero, ac distinctione.



DPLEX relationum genus in diuinis, sicut in creatis, cogitari, examinarique potest. Et transcendentalium, & prædicamentalium: atque vtriusque essentia, essentia, numerus, atque inter eas distinctio exploranda hic erit.

CERTAMEN I.

Essentia, & essentia relationum vtriusque generis in diuinis statuitur.

IDICO primò. Dantur in Deo re ipsa relationes prædicamentales. Est de fide, atque à nullo Catholico negata. Licet enim Guillelmus Parisiensis male audierit apud plerosque, quod asseruerit fusè tractatu de Trinitate, relationes prædicamentales, in diuinis etiam esse entia rationis, huic conclusioni non opponitur, sed verum aliud omnino asseruit, vt videbimus concl. 3. neque alium esse Thomistarum sensum iudicarem, nisi fortasse idem de propriis personalitatibus asserant, iudicantes præter subsistentiam communem nullam subsistentiam propriam rationem in personis esse, nisi relationum prædicamentaliter paternitatis, filiationis, quam cum rationis profusè esse asserant; neque fundamentaliter, neque formaliter in personalitatibus propriis inuenient, quo personas realiter distinctas defendant. Probatur ex Conciliis, & Scripturis, quæ Patrem, & Filium, &c. verè, atque essentia sua tales esse proclamant; & tamen in essentia personarum Trinitatis nihil factum, ac non realissimum intercedit, vt patet. A ratione probant plures, quia cum relationes sint personarum distinctiua, nisi reales sint, distinctio personarum realis non foret, sed falso supponitur relationes personarum distinctiua esse, vt disp. sequenti monstrabo. Solida igitur ratio sit. Quia Patrem esse Patrem, ac generare Filium, huncque esse Filium, & genitum, &c. independentem à consideratione intellectus nostri, ac verè re ipsa in diuinis inuenitur. Atqui hæc inuolunt re ipsa relationes prædicamentales Paternitatis, Filiationis, &c.

ergo in diuinis dantur relationes prædicamentales.

2 Dico secundò. Dantur in Deo relationes reales transcendentes. Probatur quia datur realiter in Deo principium generatiuum, & in Patre, & Filio principium spiratiuum: atqui hæc omnia sunt relationes transcendentales ad terminos suos: ergo dantur in diuinis relationes reales transcendentes. Minor, quæ sola probationem desiderat suadetur: quia relatio transcendentalis realis nihil aliud est, quam realis connexio relati cum termino, seu non posse existere sine illo: atqui potentia, seu principium generatiuum Patris, non est indifferens, vt existat sine Filio, seu absolutum in sui existentia ab existentia filij: ergo est relatum transcendentaliter realiter ad filium. Idem est de principio spiratiuo Spiritus Sancti. Maior est certa. Minor probatur: quia, quod indifferens, & absolutum est in sui existentia ab existentia alterius, potest altero non existente existere: sed sublato Filio Pater non solum, quæ Pater, sed, & in intrinseco esse, potentiaque generatiua desideret (vt passim arguebant Patres recitati disp. 2. contra Arianos negantes filium in diuinis: atque per se patet, cum enim Filius Deus essentialiter existat, potentia ad Filium Deum non existentem esset ad Filium impossibilem, quare non realis, sed chimerica potentia) ergo potentia generatiua realis Patris non est indifferens, & absoluta in sui existentia ab existentia termini, seu Filij.

3 Dico tertio. Relationes reales prædicamentales in diuinis nihil reale superaddunt personis, & processibus: sed sunt vel processiones solæ (vt vult Molina i. p. q. 40. a. 2. d. 2.) vel purum aggregatum ex persona producente, processione, & persona procedente: Ita expressè Okam. r. d. 30. q. 4. à medio, Gabr. art. 1. præsertim conclus. 5. Greg. disp. 28. tota q. 2. Guillelm. Paris. seu de Rubone vbi proximè, quos leui fundamento temeritatis notat Ruiz disp. 87. sect. 1. præcipue, cum sit expressa Anselmi sententia Epist. de processione Spiritus Sancti post med. vbi ait causam pluralitatis personarum in Deo esse, quod sint ab inuicem personæ: *Quia prædicatis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. Ecce in aggregato, & toto hoc Dei de quo, & Dei, qui de illo procedit relatio productis, & procedentis ab Anselmo statueretur in eandem sententiam sic scripsit Cyrillus Alex. 3. Theaur. c. 3. Nunquam in plures personas distingueretur, Deus, nisi quedam inueniretur differentia; non secundum essentiam, sed secundum relationem, & quasi extrinsecus, intellecta, per quam (differentiam intellectam extrinsecus: quia per relationem, quæ extrinseco termino completur) vniuersumque persona in propria hypothesis, id est in se intrinsece constituitur. Quo testimonio abutuntur nonnulli ad probandam constitutionem personarum per relationes: quasi illud per quam relationem ac non potius differentiam intrinsecam, & quasi extrinsecus intellectam per relationem, referret. Augustinus 7. de Trinit. c. 6. in. postquam docuit Personas diuinas absolutis proprietatibus, non relatiuis constitutione persona Patris dicatur persona Filij, subdit. *Quocirca, vt substantia Patris ipse Pater est; non quo Pater est (id est Paternitas, quæ filio completur, sine quo Pater formaliter realiter non est, & quo Pater est) sed, quo est: in se, & intrinsece, ita, & persona Patris non aliud, quam ipse Pater est.* Sicuti esset, si relatione, & proinde extrinseco sibi termino constitueretur, vt creatis relationibus euenit, in quo ab eis diuinis discerni noluit Basilius 2. contra Eunom. asserens verasque, si diuini ratione quam à Dei vnitatem, ab his separemus, esse omnino æquales, his verbis: *Non in eo, quod ad aliquid quoddammodo, se habet differentiam filio ad aliam est, creata, sed in essentia proprietate differentia Dei ad mortaliam elucet.* Ex ea quippe personali essentia proprietate, qua cum essentia potentia notionalis, & processio necessaria constituitur, procedentis, & procedentis relationes nec contingentes, nec accidentales in diuinis sunt, sicut sunt in creatis, sed necessaria, vt aiebat Augustinus 5. de Trinit. c. 6. Atque ex hac doctrina de constitutione relationis in diuinis per extrinsecum terminum, sicut in creatis sine mutatione*

mutatione subiecti relati intrinseca concludit Boët. i. de Trin. c. ii. sub init. *Prædicatio relatiua in diuinis, quæ talis, non facere alteritatem rei, de qua dicitur: cum tamen alteritatem faceret, si intrinseca personis esset, sicut proprietates earum personales, quibus in esse personæ atomæ huius vnæqueque constituitur. His adde Nazianzenum recitandum cert. num. 4. clarius adhuc loquentem.*

4. A ratione sic probō. In creatis, vnde nomen ad diuina transfatum est, relatio Paternitatis, Filiationis, atque vniuersim producentis, & producti, nihil aliud reale ex parte obiecti dicit, quam aggregatum ex principio, actione & termino, vt fati euincebamus in Logica ergo reale nihil aliud dicit ex parte obiecti in diuinis. Probo consequentiam quia vbi nulla inuoluitur imperfectio idem ex parte obiecti prorsus significant in diuinis nomina, quæ ex creatis ad diuina significanda mutamur: atqui principium generans processio, eiusque terminus nil imperfectio continent: ergo, si in creatis, tria illa significant relationes, & significabunt in diuinis. Vnde constat merito Guillelmum, & Thomistas relationes Paternitatis, si, vt simplex forma subiecto inherens concipiatur, rationis entia esse docuisse, æquè atque in creatis, in diuinis. Vt eos, præsertim Henricum proximè interpretabamur. Dices. Licet in creatis ad relationem Paternitatis ea omnia spectent, quia Filius, & generatio contingenter substantiæ Patris accedunt, at in diuinis cum generatio, & Filius substantiæ Patris non contingant, sed necessarîo coherant, non rectè infertur ea omnia ad Paternitatem spectare: imò, neque potentia generatiuæ diuinæ perfectio, quæ summa esse debet, potest formaliter esse, vel intelligi sine omni perfectione suæ lineæ: quare, quin ex parte sui claudat generationem, & paternitatem, atque hæc pro signis aliis posterioribus expectet: vt idcirco Patres dixerint sæpè de diuino Patre, *essentia sua Patrem esse*, vide, quid hac ratione probes: nempe potentiam generatiuam esse formaliter generationem, & Paternitatem, quæ necessarîo esse debet Filio posterior: quare prioritates originis euerit, & Filium se ipso priorem implicatorè confutit, vt expendam disput. 9. Insuper Patribus aduersariis apertè, qui Patrem æternum talem esse, non antè, sed post generationem aiunt. Cyrill. i. Dialogor. de Trinit. sine. *Pater (inquit) est, & non Filius, quia genuit.* Athanas. orat. 2. contra Arrian. *Quia genuit Pater est, & Filius, quia a tempore genitus est.* Ac Dialog. i. de Sancta Trinitate med. ait. *Patrem esse, & Filium esse, quoniam, ille quidem genuit, hic verò genitus est.* Ambros. de Incarnat. Dominice mystero cap. 9. med. *Cum Filium dico generatum significo, cum Patrem quoque dico generasse declaro.* Quod autem essentia sua Pater dicatur in diuinis, solum improbat necessitas generationis, & Filij, vt sit, atque existat persona Patris, vel, vt summum generationem identificari cum illa: licet autem esse Patrem creatis contingenter enuiat, non probat creatam paternitatem in alio, quæ diuinam consistere.

CERTAMEN II.

Numerus, & distinctio relationum generis vtriusque.

1. Circa numerum verò relationum diuinatum dico primò: Relationes, siue transcendentales, siue prædicamentales, quatuor numerari debent. Est omnium Theologorum conclusio, vt nemo oppositum asserat. Gregor. enim de Arimino r. d. 26. q. vnic. non negat relationem spiratoris, sed solum negat eam realiter à Patris, & Filij personis distingui; vt videbit, qui legat art. 2. de 2. contra secundam conclusionem. Probatur ex Boëtio de Trinit. circa finem: *Similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum Sanctum, vt eius, quod est idem, ad id quod est idem.* Aug. serm. 38. de temp. column. 3. *Dicitur, & idem Spiritus donum Dei, quia donator est Deus doni sui.* In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula:

vt, si dicamus donator doni, & donum donatoris: quia in his vocabulis potuit inueniri vsuata huic categoriæ, quæ dicitur ad aliquid, circumlatio. Repetit, & declarat s. de Trinit. à cap. ii. ad 15. Anselm. de processione Spiritus Sancti cap. penult. post medium: est quæque, inquit, commune tribus ad duos habere relationem. Pater enim ad Filium, & Spiritum Sanctum refertur, sicut ad illos, qui de se sunt: Filius ad Patrem, & Spiritum Sanctum, quia est de Patre, & Spiritus Sanctus de illo. Accedit, quod mutua relatio principij, & principij passim à Patribus inter omnes personas asseritur, vt videre licet in Concilio Toletano r. cap. i. confess. fidei, in Florent. sess. 2. post med. s. diuina substantia s. dixi equidem, in decreto Eugenij 4. in litteris vniuersionis à medio, in Naz. orat. 37. 5. de Theologia col. 5. & alijs pluribus.

2. Sed enim hæc relationes prædicamentales solum euincunt, neque satis quaternarium numerum expressè suadent, præter vnum, vel alterum testimonium; licet omnia à paritate rationis eum numerum satis ostendant. A ratione verò probatur vulgò quia per Patres, & Concilia personarum distinctio est per relationes: ergo debet esse in Patre ad Filium relatio, & contra, & in vtroque ad Spiritum Sanctum, & contra: vnde quatuor relationes elucens; alioqui, vel hic ab vtroque, vel Filius à Patre non distingueretur. Sed verò assumitur falsò personarum per relationes, siue transcendentales, siue prædicamentales distingui, vt disputatione 9. ostendemus. Probatur ergo de prædicamentibus: quia Paternitas formaliter est relatio, & mutua, cui respondet ex parte termini Filiatio, quæ relatiua etiam est, atque in vtroque est relatio spiratoris, cui respondet relatio spirati ex parte Spiritus Sancti spirati, sicut est in creatis inter producentem, & productum: quæ omnes quatuor relationes prædicamentales sunt. De transcendentibus item faciliè suadet. Quia prima persona est principium generatiuum essentialiter connexum cum Filio, qui etiam essentialiter connectitur cum principio generante: vt hoc non existente, neque Filij persona existeret: sicuti neque deficiente persona Filij existeret persona Patris. Item prima, & secunda persona sunt principium spiratiuum essentialiter connexum cum Spiritu Sancto, qui eodem modo cum vtriusque existentia essentialiter connexus est: sed hæc essentialiter connexiones sunt relationes transcendentales, & quatuor: ergo in diuinis sunt etiam quatuor relationes transcendentales. Imò, & quatuor aliæ actiuarum, & passiuarum processionum nisi hæc formaliter prædicamentales relationes sint.

3. Dico secundò. Quatuor hæc relationes transcendentales inter se se realiter distinguuntur; prædicamentales verò realiter formaliter loquendo non distinguuntur omnes quatuor in se; fundamentaliter verò sumptæ realiter omnes inter se se distinguuntur. De transcendentibus est clarum: quia relatio principij generatiui identificatur cum Persona Patris, & relatio procedentis in actu primo, seu producti, & geniti non prædicamentalis, cum persona Filij, quæ sunt realiter distinctæ personæ, ac proinde relationes ipsi identificatæ realiter inter se se distinguuntur. Item principium spiratiuum identificatur cum vtraque persona: vtraque autem ab altera solum se ipsa distinguitur: relatio autem transcendentalis spirati realiter identificatur cum persona Spiritus Sancti, quæ ab vtraque persona realiter distinguitur: quare, & eius relatio transcendentalis à transcendentali vtriusque ad ipsum realiter distinguitur. Hinc constat relationes prædicamentales fundamentaliter sumptas, seu pro fundamentis realiter omnes inter se distinguuntur: quia fundantur in personis, hoc eodem modo consideratis, siue in re lat: omnibus transcendentibus: quare eorum fundamenta eodem modo distinguuntur.

4. Quod autem realiter formaliter loquendo, non omnes inter se distinguantur faciliè in opinione probabili suadet. Quia, vt diximus cert. r. n. 3. relatio paternitatis (nisi idem quod generatio actiua sit) nihil aliud est, quam aggregatum ex persona Patris processione, & persona Filij realiter formaliter loquendo. Insuper relatio Filij nihil aliud erit, realiter formaliter loquendo, quam

idem

idem aggregatum: idem autem aggregatum nequit à se ipso distingui. Quod ipsum argumentum fit in relatione spiratoris, & spirati prædicamentibus. Ne verò novitatem conclusionis inereditis horreat eorum esse videat, Patribus recitatis cert. 2. n. 3. & traditam à Theologorum apice Naz. orat. 35. 2. de Theologia longe à medio ubi ait: *Nec enim essentie nomen est Pater, nec actionis; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem.* Si ergo Pater significat relationem Patris, vel Filij indifferentem: ergo, quia eadem ex parte rei obiecta est, sicut productio actiue, vel passiuè, agere, vel fieri significat. Itaque relationes prædicamentales mutue non distinguuntur realiter formaliter inter se se ex parte rei significat; non mutue verò realiter formaliter in se se distinguuntur ex parte rei significat: quia terminum inuoluunt diuersum, vt patet in relatione spiratoris, quæ spiratum Sanctum dicit, quem non dicitur filiatio, & paternitas. Ex modo autem nostro concipiendi distinguuntur formaliter omnes: quia fundamentum, seu subiectum cuiusvis concipimus, quasi affectum forma sibi inherente, & intrinsecam: non secus, atque, cum Patrem in creatis cogitamus. Sed hæc omnia rationis signenta sunt, quare, neque Guillelmus Parisiensis, neque Thomista plures peccant, dum relationes diuinas sub relationis conceptu, non quidem suo, sed nostro, rationis entia esse docuerunt.

CERTAMEN III.

Oppositionibus occurratur.

1. Obiicies contra relationem spiratoris Albinum Flaccum 1. de Trinit. cap. 5. dicentem, *Relationem Spiritus Sancti ad Patrem, & Filium non esse reciprocam, & mutua.* Atque Hugonem Etherianum cap. 2. de Trinit. contra Græcos init. sic scribentem: *Licet sit proprietas relationum, vt cum termino recipiant conuersionem; hoc quidam non arbitrantur de Spiritu Sancto recipiendum: quia, licet ipse sit Pater, & Filij non tamen conuersus Pater, & Filius ad ipsam referuntur.* Respondetur solum negari mutuam relationem in modo significandi sub nominibus: vt Pater, & Filius dicantur Spiritus Sancti, sicut hic dicitur Patris, & Filij, quod rectè explicuit Aug. immediatè ad verba recitata ex ferm. 38. de temp. quia Pater, & Filius, quæ tales, non sunt terminus relationis Spiritus Sancti, cum hic nec generet Filium, nec generetur à Patre; sed solum quatenus vterque est principium spiratum, seu spirator Spiritus Sancti, atque sub ea ratione mutua est relatio: nam hoc principium, seu spirator Spiritus Sancti, & Spiritus Sanctus est huius spiratoris, seu principij. Id quod nomine donatoris, & doni docebat August. ubi proximè Hugonis auctoritas non multum in hac re curanda, quia singularis est, atque non satis propriè loquentis in eo capite. Patrem enim, & Filium donatores Spiritus Sancti appellat, cum vterque, sicut vnum principium, ita vnus donator sit, atque ante med. ait: *Spiritus Sanctus, vt priuatus ab habitu, à Patre differt, & Filio.* Cuius sanum sensum non video.

2. Rursus obiicies Basil. Epist. 43. vers. med. dicentem: *Filium non habere cum Patre aliquam communicationem notionis secundum proprietatem suam, sicut neque cum Spiritu Sancto.* Si autem vterque haberet relationem spiratoris in ea communicationem notionis aliquam haberet Pater cum Filio: ergo censet Basil. eiusmodi relationem non habere. Respondet Ruiz de proprietatibus constituentibus Patrem, & Filium intelligi, ex quibus spiratio actiua non est, quæ aduenit illis constitutis. Sed contra quia propositio vniuersalis negatiua est cum comparatione, sicut neque cum Spiritu Sancto: cum neque constituentem, neque constituto aduenientem communicationem notionis habet Filius. Contra secundò: quia relatio prædicamentalis Paternitatis, & Filiationis æquæ aduenit constitutis per personalitates absolutas, siue vltimas singularitates proprias, ac spiratoris relatio, Transcendentalis verò vterque rela-

tio in ipsa personarum constitutione consistit. Prima enim persona in primo signo, in quo principium generatum est: cui sic constituta, ubi primum in se constituta secunda adiungitur, statim principium spiratum adest, vt cõstat ex d. 4. q. 2. cert. 3. Melius responderet loqui de Patre, & Filio secundum relationes Paternitatis, & Filiationis, vel principij generatiui, & termini geniti, licet non omnino liberaretur ab impugnatione prima, vt patet. Sensus ergo absolute verus, & profundior, qui nostræ doctrinæ de potentia spiratiua mirè concordat, Basilij est. Principium spiratum, seu rationem spiratoris vtrique coniunctim competere, non Patri seorsim, ac Filio seorsim; quia ex essentia, & vtriusque personalitate constituitur (aliquo duplex principium quod spiritalitatis, non erroneè, vt rigidus censet Ruiz, sed minus consensè in diuinis foret) quare sicut compositum ex materia, & forma non est vtrique commune, ita neque potentia spiratiua, seu relatio spiratoris Patri, ac Filio communis erit, nisi quatenus vterque de suo aliquid ad potentiam spiratiuam, & spirationem ponet.

3. Denique oppones. Paternitas, & Filiatio realiter formaliter ex parte rei obiectæ relationes prædicamentales sunt, & aggregatum personarum Patris, & Filij, & generationis: ergo sunt realiter formaliter idem. Ita concedis: sed videtur dissonum. Fateor dissonum esse iis, qui per relationes prædicamentales personas constitui, ac distingui cum pluribus, sed falsò, censent, vt in sequentibus videbimus. Pergis: ergo Pater non distinguitur à Filio. Mala consequentia in negantibus constitutionem personarum per relationes, sicut nos negamus. Sed dices virgentius: ergo Pater, vt Pater non distinguitur realiter à Filio, quod est hæreticum. Patet consequentia: quia particula vt specificat formam subiecti nempe Paternitatem, & Filiationem, quæ relationes mutue sunt, & idem realiter formaliter. Respondetur negando consequentiam. Sunt enim plura contra, in quibus particule specificantes de se, nequeunt specificare formas denominantes solas. Constat aperte in actione, & passione tam physica, quam grammaticali, quæ realiter, imò ex parte obiecti, formaliter etiam, identificantur, atque agens effectum, & passum denominant, in quibus neque inferri, ergo agens, vt agens, & effectus, vt effectus, & passum, vt passum idem sunt: quia quæcumque specificariue sumantur, numquam formam solam specificant. Cum ergo Pater, & Filius denominentur ab actione, vel ab aggregato eodem, numquam ita formam specificant, vt abstrahant omnino à subiecto denominato; imò neque Paternitas prædicamentalis sumpra sub eo nomine: quia, vt sic, semper principaliter dicit personam Patris, licet dicit aggregatum totum.



DISPUTATIO VIII.
DE DISTINCTIONE
essentia, & personalitatum.

T ad personarum constitutionem examinandum clarior veniat, personalitatum, & essentia distinctio statuenda primum est: quare disputatio hæc non, quæ tota de constitutione personarum erit, merito præcedit. Pro diuersitate ergo opinionum circa distinctionem hanc diuersæ quæstiones instituentur.